

Wilhelm Lauremberg Johannes Goniaeus

**Theses De Febris Malignae Petechialis, Quam Cephalalgiam Novam vulgo vocant
Essentia, Causis Et Signis, Ad disputationem anniversariam propositae**

Rostochii: Myliandrus, 1604

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729695093>

Druck Freier  Zugang



R. U.
Med

Lassenberg
Goniaceae
1604



THESES

DE FEBRIS MALIGNÆ PETECHIALIS,

Quam

CEPHALALGIAM NOVAM
vulgò vocant

ESSENTIA, CAUSIS ET SIGNIS,

Ad disputationem anniver-
sariam proposita:

De quibus, Deo Juvante,

PRÆSIDE

VVILHELMO LAVRENBURGIO

Philosophiæ & Medicinæ Doctore & Professore,

RESPONDEBIT

M. JOHANNES GONIÆVS
Rostochienfis,Die 22. Decembris horis an-
temeridianis.

ROSTOCHII

Ex Typographiâ Stephani Myliandri,
ANNO M. DC. IV.

THESS
DE FERRIS MA
LIGNE PTECHIALIS



Die 22. December 1818

ROSTOCK
F. Engelke & Sohn
1818

PROPOSITIONES

De Febre Maligna Petechiali.

Cum inter morbos populariter grassantes, & in multos eodem tempore saevientes, Cephalalgia nova vulgo dicta merito recensentur, qua plures praeteritis proximis mensibus, tum in hac urbe, tum extra ipsam, in nostra, & vicinis provincijs, sine sexus, & aetatis, aut conditionis discrimine correpti fuerunt, multi etiam e medio sublatis, non abs re fore visum est, de eius essentia, causis, & signis breviter hisce thesibus agere; Curationis Methodo in aliud tempus suspensa, & reservata.

2. Arbitrati sunt plerique nostri temporis Medici, hunc morbum esse novum, & veteribus Graecis, vel incognitum, vel non descriptum; ideoque novo nomine, febrem novam, petechialem, lenticularem, pulicalem, petechias, peti-
culas, vel lenticulas vocarunt, à maculis, quae lenticulis, aut pulicum puncturis similes in externa corporis superficie per hanc febrem apparent; Hinc Germanis, das bunte Fieber / & das Pfefferkorn dicitur: Vulgus Cephalalgiam novam, die new Hauptkrankheit / & interdum, ab inflammatione lingua, ad puniceum colorem tendente, die Breune / vocare perperam consuevit: Alij febrem malignam, mali moris, luem panonicam, febrem hungaricam, alij Pseudopestem, & semipestem, quod pestis constitutionem, quam proximè accedens, medio quodam se modo habeat inter pestem ipsam, & febres putridas vulgo dictas; alij alia indiderunt nomina, pro symptomatum, quibus insignitur, diversitate, & varietate.

3. Est autem Cephalalgia haec, febris continua, purrida, nulli tamen putridarum adstricta, popularis, maligna, contagiosa, diversis & saepe contrarijs, usque gravissimis symptomatis affligens, plerumque insignita maculis rubris, interdum puniceis, citrinis, liuidis, nigris, cutaneis, sine pruritu erumpentibus; nonnunquam sine maculis; Ab humoribus, ichoribusve excellenti & maligna corruptione ut plurimum intra vasa putrescentibus potissimam sui rationem obtinens, vel foris illata, vel in corpore excitata.

4. Febrem hanc continuam esse, ipsa experientia confirmatur, quamvis enim ad aliquam remissionem in principijs devenire interdum soleat, ut quotidianam periodum, vel tertianam, non raro quartana naturam referat, nunquam tamen ad veram infebri citationem, ut vocant, nisi morbo soluto, pervenit: Imo quo in principijs remissior fuerit, eo postmodum intensior & gravior facta, majori mali praesaga est.

Definitio.

NS.

5. Nulli etiam continuarum febrium, licet continua sit, adstricta est, sed per omnes febrium differentias vagans, & furens, nullam habet propriam, & peculiarem, ad quam reduci, & à qua denominari possit, sed omnes ipsi sunt communes, & familiares, cum juxta naturam morborum apparatus differentias suas sortiatur: licet ipsa semper sit ejusdem naturae, servans in una quaque specie propriam & peculiarem conditionem, qua videtur ab omni genere febrium longe differre.

Hip. lib. de
Nat. hum.
in Epid.

6. Popularem etiam esse morbum, & ratio confirmat, & testatur experientia, cum passim in vulgus grassetur. i. in una aliqua regione, una & eadem anni tempestate, plures homines, diversa temperie, & diversis humoribus praeditos, apprehendat.

3. de Prae-
sag. ex
puls. cap. 3.
& 4.
3. de Cresf.
cap. 4.

7. Ceterum morborum populariter, & in vulgus grassantium multiplices sunt differentiae; Sunt enim quidam perniciosi, pestilentes, lethales, & contagiosi; quidam sunt mites, nec lethales admodum, contagiosi tamen, & passim in vulgus insulescentes, qui pro alia, atque alia caeli, temporisque conditione procreantur; cuiusmodi sunt ophthalmiae quaedam, tertianae populares, dysenteriae, tenesmi, dolores colici epidemici, de quibus Paulus lib. 3. cap. 34. Sicuti & Carberus ille epidemicus, quem Anno 1580. vigere populariter per totam fere Europam vidimus, tanto impetu, ut repente sanis aliqui degentibus hominibus morbus obreperet. In posteriore hac Epidemicorum morborum classe febrem hanc collocamus, quae per aliquod temporis spacium, pestis ritu, plures uno tempore occupavit, quorum majorem partem, etsi populariter non interemerit, gravissima tamen, & periculosissima accidentibus eos oppressit, unde merito ipsam & periculosam simul & malignam asserimus: siquidem, num benignus, an malignus sit morbus, ex concomitantibus & subsequenter ipsam accidentibus, bonis, aut pravis, cognoscendum esse Galenus docet.

8. Postremo febrem hanc contagiosam esse, ut quae ex corpore infecto in sanum saepenumero transferatur & propagetur, quotidiana etiam docet experientia.

9. Porro, quia Contagium, quo similis ab uno in alium pernicies transfertur, in triplici constitui solet differentia; aliud enim immediate per contactum, & viciniam; aliud non solum per contactum, sed etiam per fomitem; aliud non solum utroque modo dicto, sed etiam ad distans propagatur, hanc febrem immediate per contactum ut plurimum in alium derivari testatur experientia.

10. Immediatum contagium dici solet, cum inter duo corpora nullum valde distans medium intercedit, ita ut contactu & vicinia labem mali invicem communicent: Mediatum vero contagium & ad distans, cum inter duo corpora medium

†

3
medium quiddam distans existit, per quod pernicioſa labes de infecto corpore in
ſemotum & distans corpus traducitur. Per fomitem vero hic audimus corpus,
quod ſemina contagioſa conſervare aptum eſt, cujuſmodi ſunt veſtes, & alie
res poroſe, in quibus tanquam in fomite, per multos meſes, imo annos, in-
quinamenta illa & ſeminaria deliteſcunt, & ex longinquis ſepe regionibus, in
alias cum ipſis transportata, tandem commotis & ventilatis rebus, uſ exiliunt,
& vel contactu immediato, vel ad diſtans etiam, in aerem ſcilicet, delata, ſi-
milem affectionem introducunt.

11. Quod igitur contagium immediatè, & contactu ſolo afficit, (de cete-
ris enim differentijs dicere huius inſtituti non eſt) ut in putreſcentibus fructi-
bus ſpectare licet, cum ſe conſtingunt, à putredine id initium ſumere in conſeſſo
eſt, deſtroyjs contagioſis, hoc eſt partibus quibuſdam inſenſibilibus, ſeu vapori-
bus putridis à primo fluentibus, atq; alteri per viciniam, & contactum adha-
rentibus; ita ut hoc contagium in putredine tanquam primo principio gignat-
tur, alteri, interuentu evaporationis inquinatæ, & putridæ communicatum,
quæ quidem evaporatio, ejus putreſactionis, quæ à primo in alterum dimanavit,
ſeminarium & principalis cauſa exiſtit.

12. Huius naturæ contagium malignæ febris eſſe cenſetur, in qua ex in-
teraneo putredinis gurgite, exhalans contagium, alteri corpori prædiſpoſito com-
municatur, per inſpirationem; dum ſcilicet inquinamenta illa à corporibus in-
fectis effuſa, per os & nares potiſſimum, tum etiam per arterias, & totius cor-
poris meatus, quos poros appellamus, attracta, maligna ſua qualitate perniciem
hanc excitant, corpusq; ad ſimilem affectum obnoxium reddunt.

13. Et quia putredines Medicis dictæ non omnes ſunt contagioſæ, ſiqui-
dem in Tertianis, Quartanis, Quotidianis febris à putredine ortis, (modo non
ſint populæres aut peſtilentis) nullum contagium inferri adſtantibus apparet,
etiamſi cum agris perpetuo verſentur, conſequitur ſeminarium illud contagio-
ſum, quod in hac febre in alios ſæpe ſpargitur, non ex levi & communi putre-
dine, longè minus ex humorum fervore & ebullitione, vel uſtione etiam, ut
vocat, diſſundi, ſed neceſſe eſſe, ut putredo hæc ad iſtum malignitatis gradum
deveniret, ut *vorſep anõnſiop*, morbidam exſpirationem, eamq; non facile
diſſipabilem, utpote, quæ corporibus aliquantiſper inherere queat, effundat;
Ita ut febris hæc maligna, malignæ putredinem, *vorſep anõnſiop* exſpirantem,
non vero venenum aut veneficam qualitatem, cauſam habeat immediatam &
proximam, uniuſ ſolius ratione, & non alia, contagioſa ſit, qua ſæpe plures ex
adſtantibus per aſiduum vicinum contactu correptos videre nobis licuit, exha-
latione pernicioſa ex corpore, hac febre infecto, ſuſcepta.

Reliqua descriptionis membra ex symptomatum & signorum enumeratione abunde constabunt.

14. Causas hujus putredinis malignæ, tum ad externas, tum ad internas clarioris doctrinæ gratia, reducimus.

Gal. de Ther. ad Pisonem.

15. Externam, eamq; primam causam, quæ huic febrî competit, quatenus est de genere epidemicorum morborum, constituimus aeris vitium, ex pravo quodam inquinamento, ipsi inperfo, contractum, quod varijs occasionibus contingere potest.

libris Aphor. 1. Epid. lib. de ratione vitium.

16. Vel enim anni tempora, & cœli constitutiones, dum à naturali sua temperie recedentes, calidiores & humidiores, simulq; turbidæ, nebulosæ, caliginosæ existunt, atq; inæqualem, variam, intempestivam, & præternaturalem constitutionem consequuntur, hoc vitium Aeri impertiri posse apertissime ex Hippocratis pluribus locis constat.

17. Vel alteratur, inquinatur, & veluti corrumpitur aer, extraneæ, malignæ, perniciosæq; substantiæ admixtione, sive ea cœliis ipsi communicata, manifestas ejus qualitates, aut totam ejus substantiam certo corruptionis modo alteret & transmutet, ut communis Astronomorum est sententia, sive ab exhalatione putrida, quæ ex sepulchris apertis, dum à cadaveribus putridis repurgantur, aut paludibus sordidis, corruptis item frugibus, oleribus, & alijs hujus census, putridum, & morbidum vaporem expirantibus sit excitata, ipsum inficiat: Aer enim, sicut recipit odores & fumos salubres, & in alia corpora transmittit, sic vapores putridos & pestiferos recipiens, eos inspirantibus, pro varia ipsorum dispositione, communicare potest. Atq; hæc causæ non solum huic malignæ febrî, sed verè etjam Pesti communes sunt, ipsiq; producendis pro majoris minorive malignitatis ratione, occasionem præstant: qua ratione etjam hæc febris maligna, contagiosa & pesti affinis evadit.

18. Externis causis adnumeratur frequens adhæsus, & diuturnum consortium cum his, qui febre hac maligna sunt infecti, suscepta nimirum morbida exspiratione corporum laborantium; quæ causa sufficere potest sola, ad hanc febrem exitiosam suscitandam, dummodo conveniens corporis aptitudo præsto sit.

internæ

19. Porro non perpetuo à causis externis, utpote aere infecto, aut per contagium hæc febris importatur, sed interdum etjam ab internis solis causis oriri potest. Contingit enim nonnumq; febrem benignam continuam, vel etjam intermittentem in malignam hanc degenerare, dum scilicet & vehementis causa, & materia ad perniciem hanc suscipiendam aptissima concurrunt.

20. Nonnumquã ipsa occasionem ortus sui sumit à morbo corpore præparato. Apparatum autem morbosum, cum Galeno intelligimus, dum corpora in venis &

venis & arterijs; atq; adeo in carnibus, totiusq; corporis ambitu, superfluas humiditates, caliditati conjunctas, ventilationeq; vacantes, immotas & veluti suffocatas conceperunt, quæ aliquam, ex causa externa vel interna, occasione in putrefcendi consecuta, facile hanc malignam perniciem excipere inq; fatidum; utroq; calori multo opere infensum inquinamentum transire possunt.

21. Contrahitur hic morbosus apparatus magna ex parte ex indebito vitæ insituro; ut, cum in victu corrupto & inordinato, in multis crapulis, morborum omnium fomitibus, in otio multo, in venereæ rei immoderato, intempestivoq; usu, alijsq; similibus, vitæ secure transigitur; hæc enim omnia & similia, præter putredinis, quem exhibent, apparatus, & causam ipsius, nimirum obstructions plurium meatuum præstant, & vires plurimum turbant, quo fit, ut non solum habeant laborandi apparatus, verum & destituantur resistendi facultate ac virium robore, quo possint morbosum apparatus refrenare. atq; externis causis oblectari.

22. Atq; hic apparatus, præterquam quod susceptiva sit causa eorum maiorum, quæ ab aere nobis communicari paulo ante dictum est, & putrefactioni huic aptam substernat materiam, hoc etiam peculiare habet, ut juxta varietatem ipsius, quæ multiplex esse potest, hanc febrem subinde plurimum variare faciat; In quo sensu dictum est ab Hippocrate, Differre corpus à corpore, naturam à natura, alimentum ab alimentis; Mutat n. corpus senile, humorum naturam & temperamentum; & natura biliosa, pituitosa, ac melancholica divorsum generat in corpore apparatus, sic sexus consimilem infert in apparatu differentiam; pari ratione alimenta, quæ mille modis varia esse contingit, diversum quoq; efficiunt apparatus; nam diversa sorte divites, & pauperes eis utuntur; diversa etiam rurales, & agrestes homines, ac urbani; Item & hi, qui vitam agunt sedentariam & ociosam, & hi qui laboribus sunt dediti; Et sic ex diversa hominum sorte, ex alimenti diversitate, atq; ex diverso vivendi more, diversissimus exurgit in corpore apparatus, quo fit, ut varius etiam atq; diversus, quo ad accidentia & symptomata, hic affectus suboriat, licet in omnibus ejusdem nature sit & rationis.

23. His causis adnumeranda venit, corporis ab ortu, primaq; conformatione, contracta, (ut nonnunquam fit) conditio, prona ad hanc febrem suscipiendam, nimirum principalium viscerum, nativæ debilitas, pororum cutis raritas, atq; laxitas, qua, ut omnes alias externas causas, sic æeris quoq; inquinamenta facile acceptare atq; excipere possunt, quæ tamen conditio, deficiente primo apparatu, numquam malignæ febri per se principium præstat; bene tamen, dum prædicto apparatui conjungitur; quo tempore promptius laborantes corripi, insicq; possunt.

Libr. de
Flatib.

Porro

24. Porro substrati apparatus materia præcipua, etsi sanguis in hoc morbo esse videatur, fortassis ob hanc causam, quod, dum alios humores pravos sibi habet comites, promptius effervescat, & per ebullitionem ocysime in cutem erumpat, dictisq; perechijs ipsam commaculet; nihilominus tamen alterius alicujus humoris dominium in hac febre ut plurimum præpollet, illius nempe, cujus major in morbo apparatus copia continetur, unde aliæ biliosarum, aliæ melancholicarum, aliæ aliarum febrium typum & periodum imitari videntur, ita, ut pro varietate humorum putrilaginem suscipientium, variæ quoq; febris malignæ differentie progignantur.

25. Locus seu focus materia putrescentis in hac febre non videtur unus idèq; in omnibus esse, sed pro ægenis & patientis diversa dispositione varius: vel enim in parte principe una, vel pluribus concepta, vel in venoso, arteriosoq; genere stabulata, vel in alijs corporis partibus residens, indeq; latius manans meatuum corporis adminiculo in cor, & totum corpus disseminatur, hancq; affectionem excuscitat.

26. Attamen in maligna febre, quæ ex infecta aeris inspiratione nascitur, aliquam cordis substantiam primaria affectione fœdari, in eaq; mineram malignam stabulari, probabile videtur, quod inspiratus aer proxime in cor feratur, qui cum corruptus sit, & contagioso, maligno, lethaliq; miasmate imbutus, non potest non contagium, & perniciosam hanc fœditatem communicare illi cordis substantiæ, quæ paratior est, magisq; prædisposita ad eam recipiendam, sive hæc sit solida, sive humorosa, sive halituosa substantia: Quo casu vitalibus spiritibus lethali hac pernicie affectis, viribus assatim collapsis, circa omnem etiam putredinem ægros de medio sublato videre interdum licuit.

27. In febre autem maligna, quæ ex internis dictis causis oritur, non videtur rationi consentaneum, cordis substantias primo & essentialiter necessario corripri, febriq; primam statim mineram fieri, propterea, quod cordis humores, spiritus, & solida, extra aerem infectum, perpetuam habeant ventilationem & perflatum, beneficio respirationis salubris, cujus minere à putrilagine vindicari possint. Etsi enim fuligo putrida ex aliarum quarumcunq; partium humoribus maligna qualitate imbutis effusa, atq; in cor delata, febrem putrem & malignam excitare queat, non tamen necessario substantias cordis putrilagine statim inficiet, eo quod secundum bonam sui partem corrigatur, depuretur, atq; expiratione expurgetur, ita ut eam alterationem, & immutationem, quam externus aer pernitiosus, inspiratus producere solet, cor hic non perpetuetur, sed salubri inspiratione refocillatum putrilaginem non admittat.

28. Quanquã nihil impedit in hac febre, quæ ab internis causis excitatur, inter-

interdum etiam cordis substantiam prædispositam, hoc est, multa excrementitia humiditate scatentem, extraneo calore abundantem, & beneficio perspiratus non gaudentem, à fuligine foetida, maligna, aliunde promanante, per consensum vitari tandem, & corrumpi, magis minusve, prout putrida & maligna colluvies, vel ratione facultatis & caloris, vel ratione humoris putrescentis, vel ratione prave dispositionis loci, vel mitiores vel deteriores conditiones acquisiverit: multiplicem enim eam esse, & multiforme illius genus asserit Galenus.

r. de feb.
diff. c. 6.

29. Vbi itaq; hæc putredinis minera, in quacung; corporis parte strabulata, ad tantum malignitatis gradum pervenit, ut perniciem hanc cordi communicare, spiritusq; vitales insicere queat, malignam hanc febrem excitari est necesse.

30. Quod si hæc colluvies putrida morbidam effundit *ἀποσπασίμην*, eamq; corpus aliquod prædispositum, sive immediate, sive mediate suscipiat, similem in eum morbum excitari, & obinde contagiosam pestilentemq; febrem dici, continget.

31. Vtraq; hæc ratione febrem hanc malignam, quæ apud nos hinc inde sevit, initium contraxisse probabile est, cum absq; externa & universali aeris infectione, sæpe ab interna humorum perniciæ, sæpius privato contagio, quod quisq; prædispositus cum infecto diutius consortium habens, sine negotio concipere potuit, eam contractam fuisse viderimus.

32. Quod si levior sit hæc perniciës, quam ut morbidum contagium exspiret, non contagiosa, neq; pestilens, sed simpliciter maligna, & privata febris, ut nonnullis placere video, dici merebitur; quæ etiam apud nos, ex amplis familiaribus unum aliquem solum correptum fuisse, vel etiam vitam finivisse, cæteris omnibus illæsis & salvis, sæpe observavimus.

33. Porro ut natura hujus febris magis elucescat, differentias inter ipsam & veram pestem, reliquaq; putridarum febrium genera constituere erit opere pretium.

34. Et primo quidem à vera peste hæc febris differt, quod pestis ex aëris inquinamento pestilenti & contagioso, adeaq; à causis externis solis oriatur, præmissa analogia ad aliquem ex humoribus aut spiritibus, etiam secundum naturam se habentibus, Maligna vero febris & ex aëre maligno inquinamento facta, & à causis internis, suum nanciscatur principium, nunquam tamen, nisi morbo in intrinseco apparatu substrato, suscitetur.

Differentia
T.

35. Deinde quod pestis omnibus ex æquo, cujuscunq; sortis hominibus communis esse possit, maximamq; ex eis partem, imo interdum totas ædes, totosq; vicus absumat, & perdat, nisi qui fugi salutis sue initio prospicientes aut adversissimum & vehementer resistentem naturam sortiti evadant; Maligna autem febris non omnes sine discrimine, sed eos tantum apprehendere

B

possit,

possit, quibus putredinosus apparatus inest, quorum subinde etiam major pars evadit.

36. Tum quoque differunt, quod vera pestis placida & mitis sit ut plurimum a principio, atque eodem fere modo corpora quaecumque apprehendat, eademque febre omnibus excitet symptomata; Maligna vero febris aliquando etiam, more pestis, mitis in principio apparet, maxima tamen ex parte invadit cum levissimis, usque diversissimis symptomatis, pro morbofi apparatus natura & conditione varia.

37. Postremo in eo disident, quod pestis & contactu, & fomite, & ad distans insiciat: febris vero maligna per solum contactum, vicinamque perniciem inferre possit: etsi enim inquinamenta, ex corporibus infectis expirantia, aëri proximo commisceantur, eumque insicere posse sit consentaneum, quia tamen leviora sunt, mitioraque, quam ut longius diffundantur, atque insuper aëris perpetua agitatione & diffusione hebetentur, & vim morbi quodammodo remittant, non poterunt facile, nisi diuturno consortio, & vicina adhesionem in aliud corpus transferri, idque insicere.

38. Porro differt hæc maligna febris à putridis benignis, primum diversitate putredinis, quod harum, quæ benigne putride dicuntur, putredo, sit cum participatione coctionis alicujus, utpote puris vel alterius materie, quæ puri est quam simillima, & calorem quidem habeat præternaturalem, multo tamen caloris nativi & spirituum favore permixtum, ideoque adhuc benignum, Et in qua putrescibilis humiditas non multum luxurians, citra difficultatem alterari & vinci possit: Malignarum autem febrium putredo, maligna & natura proventus adversa sit, concoquentis facultatis imbecillitate, caloris nativi spirituumque vitalium inopiam, & excrementitiæ putrescibilis humiditatis abundantiam habens, quæ propterea non tam facile alterari & vinci possit.

39. Tum etiam distant symptomatum & signorum diversitate, malignitate & deterrima conditione, de quibus infra dicitur.

40. Adhæc in malignis febribus, vitales spiritus longe diverso ab aliarum putridarum modo, semper affici, manifeste ostendit insolita & præter omnem modum & rationem manifestam omnium virium subita prostratio & imbecillitas, qualis alijs, ex vulgari putredine ortis febribus, raro aut nunquam accidere solet.

41. Postremo differt hæc febris ab alijs benignis, quod in his putredo unius alicujus humoris, aut plurium (si complicatus est affectus) naturam referat, ex quo febris ipsa speciem, & rationem differentiam sumit: In maligna febre autem, etiamsi ipsa majorem habeat ad sanguinem analogiam, atque sæpenumero etiam ex prædominantis unius alicujus humoris natura, quodammodo speciem sortiri.

videa-

Gal. 6. Epid. sect. I. com. 29.

videatur, tamen omnes simul humores, in minera sua, sive præcipuo corruptio-
nis loco maligna putrilagine infectos esse, ipsius sanguinis, per venæ apertionem
emissi, dijudicatio testatur; etsi extra locum putredinis præcipuum, in alijs va-
sis puri, & citra aliquod vitium humores superesse sæpe deprehendantur.

42. Signa hujus morbi ad tria reducemus genera, & primo quidem breviter
recensibimus ea, quæ morbum præ foribus esse prænunciare, deinde, quæ præ-
sentem demonstrare possunt, & tandem nonnulla, ex quibus aliquid ad prædi-
cendum venari licet, assignabimus.

43. Futuram itaq; hanc febrem denunciant, tum continua & diuturna cum
infectis conversatio, tum præsens corporis dispositio, & apparatus, ad hanc fe-
brem suscipiendam idoneus; tum his positis, insolita in homine mæstitia, timor
inexplicabilis, color faciei mutatus, spontanea totius corporis, & imprimis cra-
rum lassitudo, insomnia inquietæ & turbulenta, nausea insolita, compressio, &
angustia thoracis, & præcordiorum, capitis, & præsertim sincipitis gravis, & in-
gens dolor cum vertigine sæpe conjunctus, atq; universi corporis crebra quasi
quædam horripilatio: Ex horum, & similium signorum præsentia, morbum hunc
brevis adfuturum esse, facile est conijcere; indicant enim & occasiones hujus ma-
li in promptu esse, & humores paratos ad hanc perniciem suscipiendam, ipsosq;
jam nunc in alienam naturam converti cœpisse.

44. Signa diagnostica, quæ præsentem hanc febrem attestantur, quod atti-
net, etsi hæc febris, ut & alij pleriq; morbi, nullum habeat signum, quod proprium
& per se pathognomonicum dici mereatur, præterquam forte maculas illas, in
decursu ipsius erumpentes, plura tamen, & diversa, eaq; gravissima ipsam comi-
tantur symptomata, quibus, ut signis, conjunctim consideratis, occulta & latens
ejus malitia, demonstrari haud difficulter poterit.

45. Inter hæc primum locum merito sibi vendicant, gravissimi & molestissi-
mi capitis dolores, de quibus tum a principio, tum etiam totius morbi tempore,
correpti vehementer, conqueruntur, unde vulgo die newe Hauptfranchheit
appellari consuevit.

46. Hos capitis dolores statim comitatur totius corporis inquietudo, gravi-
tas, lassitudo; & universalis quædam impotentia, & prostratio virium omnium,
qualis nullis usquam morbis incipientibus accidere visa est. Hinc subsequitur re-
spirandi difficultas, & quædam inexplicabilis anxietas, manuum tremor, & frequens
inordinatæ, horripilatio, tum in principio, tum etiam vigente morbo. Nonnulli
etiam primis diebus somno corripuntur insolito, turbulento, & varijs insomnijs ple-
no, & excitati, delirant, donec caliginosior, & crassior halitus, spirituum animalium
motu evanescat; quod profecto & affectus malignam naturam arguit, & gravioris
futuri mali solet esse prognosticon.

B 2 Calo-

9
Signa.

10
47. Calorem hæc febris exhibet sibi nec constantem, nec eodem in omnibus modo se habentem; sed pro morboſi apparatus diverſitate, varium: Interdum enim in principio mitis, & remiſſus ad tactum apparet, gravibus tamen concomitatus ſymptomatis, quo tempore interiora vehementius & intenſiore calore, quam exteriora uri contingit; atq; hoc ob morbi malignam conditionem, quæ citra maximum in exterioribus incendium, moleſtiſſima concitare poteſt accidentia: habet enim hoc peculiare, ut quo minor & remiſſior in principio apparet calor, hoc major ſit ejus malitia; & quo intenſior, eo major humorum putrilago; unde ex majore caloris remiſſione, occultius venenum in hoc morbo arguitur. Interdum calor intenſus, acris, & mordax in principio tactu percipitur, ob apparatus humorum biliolum ſimul, & malignum, à quo ingens flamma concitari facile poteſt.

48. Quicumq; vero calor, ſive remiſſior, ſive intenſior appareat, ſi auricularum, narium, & pedum extremitates, ad tactum non eſſe calidas, vel ſaltem caliditatem cæteris corporis partibus proportionatam non obtinere; ægri conquerantur, atq; inſuper alia ſigna hæc febrem atteſtantiæ concurrant, malignam ſubſeſſe febrem certo ſtatuendum eſt.

49. Pulsus in hac febre varius eſt, pro temporum morbi varietate; & diverſa conditione: ut plurimum primo morbi acceſſu apparet naturalis, aut parum ab eo diverſus, cui tamen adjuncta animi deſectio, ſyncopo, anxietas, inquietudo, inordinati, frigidi, & intercepti ſudores; argumento ſunt certifiſimo, ſub hac naturaliſ pulſus imagine, febris malignitatem latitare.

Nonnunquam pulſus in principio occurrit frequens, parvus, debilis, & diverſus; licet hæc diverſitas prope macularum exitum magis eluceſcat: nonnunquam formicanti ſimilis, minimus nimirum & frequentiffimus.

Transactis primis diebus, & dum macule prorumpunt, pulſus ſit varius, diverſus aliquando intercidens, & maxime inequalis; quæ ipſa commonſtrant, & cor plurimum à maligna contagione affligi, & in ea propulſandæ, excutiendæq; plurimum occupari. Sunt quibus cum cordis tremore, pulſus tremuli ſiunt, partim onere, dum in principio hoc accidit, partim malitia, ſi procedente morbo contingat.

50. Sitis raro magna in hoc morbo, ſæpius nullæ, & quæ reſpiratione potius, quam potu reſtinguatur; quin imo, ſi potus, qui in ſubſidium ſitis porrigitur, non ſolum nihil proſit, verum etiam fluctuationem, & anxietatem pariat, linguamq; reddat aridam, & ſcabram, certo eſt argumento, perniciem malignam ſubſeſſe: plurimum namq; ſitire, febre apparente remiſſa, & nihil ſitire, lingua exiſtente ſicca, certum eſt malignitatis indicium.

Porro;

51. Porro cibi fastidium, abominatio, nausea, vomitus, sicuti hunc morbum futurum attestantur, sic inseparabiliter eundem concomitantur, & certissima malignitatis, vires ventriculi prostermentis, sunt indicia.

52. Non minus excrementa e corpore prodeuntia, etiam primis diebus maxime fetida, pejorem & sordidiorum, quam pro communis febris ratione, subesse corruptionem attestantur: praesertim si factori aliquod aliud vitium in excretis junctum sit, quale est excreta esse liquida, viridia, spumosa, pinguis, quae, quia frequenter in his morbis conspiciuntur, malignam ejus naturam designant.

53. Vrina quoque primo accessu simillimam sanorum urinis sese ostendens, & per dies aliquot laudabilis perseverans, concurrentibus tamen alijs, sua natura pernitiosis signis, reconditam morbi malitiam & clam & sensim operantem testatur. Interdum etiam tenuis, & cruda nullum continens sedimentum, aut quod excrementi potius, quam veri sedimenti naturam referat, facultatum naturalium jacturam ac despendium, primo adhuc mali accessu indicat. Quemadmodum crassa, turbida, ac intensioris coloris, & quae crassum, rubrum, ac conturbatum diffusumque sedimentum, aut aeruginosum aut quid diversi coloris in superficie habet, atque talis existens, de repente citra rationem cocta apparet, gravissimis semper alijs symptomatis concurrentibus, ut malignum testatur morbum; sic majus aliquod, malum minatur, docente Hippocrate in coacis praedictionibus.

54. Sic sudores parvi, minuti, intercessi, frigidi, foetidi, circa morbi principium, varie, inordinate, ac sepe cum majore damno profusientes, malignam hujus morbi conditionem docent, ut qui naturae & humorum sordidiorum potius vitio, quam ex naturae lege profundantur.

55. Quemadmodum & gravi, extraneo, foetidoque, anhelitu, solo quasi signo sepe malignum hoc contagium peritis Medicis fuit deprehensum.

56. Maculae quoque, sive petechiae, a quibus haec febris denominationem traxit, in collo, dorso, thoracis partibus ut plurimum apparentes, certissimum & prope pathognomicum signum hujus febris sunt.

57. Macularum vero appellatione non intelligimus pustulas, aut tubercula, aut quampiam aliam cutis extuberantiam, multo minus aliquam cutis asperitatem aut exulcerationem, aut prurituosam affectionem, sed solam cutis colorationem, non continuata quadam & equabili connexione, sed sparsim, punctimque in cutis superficie factam, quales in pulicum morsibus, tum recentibus, tum non ita recenter insulsi, maculae apparere solent, quae, quia repente ut plurimum & intempestive, atque crudo adhuc morbo existente, citra ullam aegri allevationem,

s. l. d.

12
mem, in extremam cutim effunduntur, eamq; pro maligni & putridi humoris, e-
jus soboles sunt, varietate, modo rubro, modo violaceo, modo lurido, modo alte-
rius generis colore inficiunt, ostendunt malignam subesse proluviem, cuius vi-
cuationem, posterius futuram, vires conentur ante tempus, & mutiliter tenta-
res; sicuti etiam exiguas arguunt virium opes, quæ nec resistere insultribus hujus
mali, nec inceptum opus perficere queant: Itaq; quo maculæ fuerint deterio-
ris conditionis, eo maligniorem subesse febrem commonstrant: Nam licet e-
rumpentes analogiam contagionis ad sanguinem mostrent; nihilominus tamen
tanto sunt deteriores quanto alterius humoris perniciosi consortium, & prædo-
minium magis signaverint. Fit etiam interdum, ut ob præcellentem putredinis
malignitatem, & frustraneum, irritumq; naturæ conatum nullæ inter decum-
bendum maculæ appareant, quæ tamen post mortem subinde vel pauciores vel
plures, lividæ vel nigrae, simul cum calore putrilaginoso, fuliginosoq; exhalan-
te, & spiritibus resolutis, in cutem effusæ, occultæ pravitatis manifesta sunt
indicia.

58. Postremo sanguinis è naribus eruptiones, vel stillatim, vel majore quan-
titate factæ, si in principijs contingant, etsi certum non sint hujus febris indi-
cium, admonent tamen vereri, occultum quid subesse, quod in malignum que-
at degenerare.

59. Dum itaq; hæc enumerata symptomata, & signa, vel omnia conjun-
ctim, vel ex ijs plura, contingit apparere, etiamsi febris mitissima primo acces-
su videatur, eam tamen malignam esse vereri oportet.

60. Porro præsagium in hac febre maligna, etsi omne incertum fere sit, &
dubium, cum signa quæcumq;, etsi sint optima, non tamen semper queant bo-
num portendere; nec malum, etiamsi, mala: Ita, ut non minus visum sit
optimis signis homines perisse, quam iisdem perniciosi indicantibus, sanos fa-
ctos esse; tamen ex symptomatis ante enumeratis, multa prænovisse, & prædi-
cere licet diligenti & circumspecto Medico, cui quid unumquodq; eorum ad
salutem, vel mortem præsagiendam proprium & peculiare habeat, cognitum
probe & perspectum fuerit.

61. Meliora itaq;, & salubria, ut vocant, signa, ex quibus ad prædican-
dam salutem, venari quid licet, hæc fere sunt.

62. Vires, & facultates omnes, & potissimum vitales, in totius
morbi decursu non concidere, sed constantes, & quasi integras per-
manere.

63. De magno capitis dolore, lassitudine, anxietate, exolutione magna
non conqueri.

Mente

64. *Mente semper constare, & si aliquando leve suboritur delirium, id perseverans non esse.*

65. *Post alui fluxum, in principio morbi sponte subortum, salubriter habere.*

66. *Post macularum rubescendum, confestim prorumpentium apparitionem, justumq; rursum disparitionem, aestum subsidere, febrem mitigari, pulsus ex inaequalitate, & diversitate, ad aequalitatem & naturalem conditionem paulatim reverti; urinas ex turbido; crasso; spisso, paulatim fieri laudabiles, & sanorum urinis simillimas.*

67. *Diebus quarto, septimo, nono, undecimo, caeterisq; ut vocant, criticis, melius, quam alijs habere.*

68. *Ad remediorum usum, morbum mitigari, facultates corroborari, & ad omnia, quae offeruntur, bene se habere.*

69. *Huius postremo additur surditas, post accidentia alia omnia superveniens; cui, tamquam certo salutis praesagio, maxime fidere in hoc morbo medici solent.*

70. *In salubria vero, vel dubiam salutis spem attestantia sunt. Vires omnes statim, citra manifestam causam concidere, ac magis, magisque debilitari.*

71. *Ab evacuatione quacunq; sive ea per narium haemorrhagiam, sive per vomitum, aluum, aut sudores, quovis morbi tempore copiose fiat, non remittit febrem, non symptomatum ^{evanescentia} obsolescere, non corpus allevari, sed magis deficere, & exolvi, perniciosum est.*

72. *Sicuti periculo non vacat, si maculae extra tempus criticum, cum materia cruditate appareant, si ab exitu subito delitescant, aut lente admodum prorumpant, aut lividae, nigrae, citrinae appareant, aut sanguinem veluti concretum representent, si gravissimis, difficillimis symptomatis associantur: quae enim graviora, saevioraq; symptomata perechijs conjunguntur, eo peiores & periculosiores sunt reputandae: quamvis tamen etiam fidendum omnino non sit, si mitiora sunt omnia, salutem attestantia; siquidem contingit saepe, ut delitescentibus perniciosis signis, corporis virtutes ab occulto malo tacite subvertantur, & perniciis inferatur.*

73. *Perniciosum itidem est, urinas crassas, rubras, spissas, ac turbidas perseverare, neq; ullis auxilijs alterari, vel colorem & substantiam suam subito mutare; foetidas esse; minore, quam par est, quantitate reddi, vel in totum suppressi, quod summe malum esse testatum fecit Hippocrates.*

74. *Parum quoq; spei salutis praestat, pulsus inordinatus, inaequalis, & contractus continuo permanens, & praesertim, si a principio, citra manifestum evacuationem, debilis valde appareat.*

Pess.

I. Prædict.

†

75. Pesumum quoque signum, & timoris plenum est, laudabilis sanguis e' vene
secta extractus, tremula item lingua, & manus valde tremula, difficilis respira-
tio, magna anxietas, faucium & oesophagi incendium, linguae scabrities & ni-
gredo, fetens anhelitus, excretiones fetidae, vomitiones aruginosae, sudores
frigidi, perseverans delirium, superveniens somni profunditas, vigilia conti-
nua, phrenitis, convulsiones nonnullarum corporis partium, Epilepsia, atq; ut
hac aetate in aliquibus conspecti nobis sunt bubones sub axillis, ad inguina, &
ut plurimum pone aures erumpentes, qui, ut ad suppurationem, nulla ratione
deduci queunt, sic aegri magna ex parte ijs commoriuntur.

76. Postremo experientia, & longissima observatione confirmatum est, non
solum causam, sed signum esse periculosissimum, remedia in hujus febris prin-
cipio non fuisse adhibita: Nam praeterquam quod Hippocrates praecipiat, re-
media esse in acutis morbis eadem die adhibenda, (tardare enim in talibus ma-
lum) etiam rei natura docet in hoc morbo longe gravius esse procrastinare siqui-
dem hujus perniciem seminaria, non solum in humores, verum & in cordis
adeoque totius corporis penetralia sese magis magisque insinuant, ex quo
deinceps difficillimum fuerit, instrictum malum eradi-
care, & laborantes sanitati re-
sistuerent.

F I N I S.





51. Porro cibi fastidium, abominatio, nauſea, vomitum futurum attestantur, sic inseparabiliter eundem comamalignitatis, vires ventriculi prostermentis, sunt indicia.

52. Non minus excrementa e corpore prodeuntia, etiam xime fetida, peſorem & sordidiorum, quam pro communis esse corruptionem attestantur: praesertim si factorum aliquo cretis junctum sit, quale est excreta esse liquida, virgula, quae, quia frequenter in his morbis conspiciuntur, ram designant.

53. Urina quoque primo accessu simillimam sanorum & per dies aliquot laudabilis perseverans, concurrentibus tura pernitiosis signis, reconditam morbi malitiam & claritatem testatur. Interdum etiam tenuis, & cruda nullum colorum naturalium iacturam, ac despendium, primo adhuc quemadmodum crassa, turbida, ac intensioris coloris, & ac conturbatum diffusumque sedimentum, aut eruginosum raris in superficie habet, atque talis existens, de repente citra ret, gravissimis semper alijs symptomatis concurrentibus, tur morbum; sic majus aliquod, malum minatur, docete praedictionibus.

54. Sic sudores parvi, minuti, interesi, frigidi, fetidissimum, varie, inordinati, ac sepe cum majore damno pro hujus morbi conditionem docent, ut qui naturae & humo raris vitio, quam ex naturae lege profundantur.

55. Quemadmodum & gravi, extraneo, fetidoque, an gno sepe malignum hoc contagium peritis Medicis fuit dep

56. Maculae quoque, sive petechiae, a quibus haec febris a xit, in collo, dorso, thoracis partibus ut plurimum apparen prope pathognomonicum signum hujus febris sunt.

57. Macularum vero appellatione non intelligitur pa aut quampiam aliam cutis extuberantiam, multo minus dinem aut exulcerationem, aut prurituosam affectionem, se tionem, non continuata quadam & equabili connexionem, in cutis superficie factam, quales in pulicum morsibus, tun ita recenter insuctis, maculae apparere solent, quae, quia & intempestive, atque cruda adhuc morbo existente, citra a

B 3,

